 2.

SOTERIA
REGI,
ET
Ecclesiæ Anglicanæ,

Cujus Primatum Reverendissimo

DOMINO

Gulielmo Sandcrofto, &c.

Fœliciter commissum, sine omni fuco gratulatur, & inter epulas publicas in Ædibus LAMBETHIANIS *hæc quasi Musarum bellaria obtulit*

LUDOVICUS *à Fonte* VIRGINEO. Maidwell

QUis furor insolitas movit sub pectore vires,
Sopitosque diu renovavit *Apollinis* ignes.
Nam neque *Parnassi* vidi juga, nam neque vestros,
Dicite *Pierides*, à longo tempore fontes.
Jampridem Dominis *Cyrrhæ Nysæ*que relictis
Aoniam ignoro, nec non tua saxa, *Cithæron.*
Non umbras mihi *Granta* diu, nec flumine *Camus*
Divino concessit aquas: verum enthea Virtus
Excitat ignotum non oppugnanda Poetam.

Luctantes animi motus, & gaudia mentis
Irrequieta, hodie quis vinclo, & carcere frœnet.
Ite mei affectus, scelus est inhibere volantes.
Parce precor læto, Veneranda Ecclesia, nato
Et parvis permitte Parens altaria cingi
Muneribus, Pueri properate, & spargite templa

Flore novo, & lauru victrici ornate columnas.
Cultori concede tuos resonare triumphos,
Et trahere auratum vestra ad Capitolia taurum.
Quàm Te depereo, Mater Dulcissima, nostrum
Gloria, & attoniti fortunatissima Mundi
Invidia, O valeas, multos amplexa nepotes,
Et largæ tumeant semper tibi lacte mamillæ,
Læta Deum partu, videas *Berecynthia* Mater
Qui pugnare audent, & debellare Gigantes,
Quamvis septeni sit confidentia Montis.
Multum olim damni, multum perpessa doloris
Impia dum miseros vexat discordia cives,
Et dira ingratos insania fascinat agnos.
Crudelis lacerat tam culta novalia miles,
Et videt heu *Thamesis* scelerato *Præsulis* ædes,
Has ædes populo obsessas, sed carmina dicunt,
Et Patrem, mœstasque per uda sedilia Nymphas
Deplorasse scelus, lacrymis turbasse fluentum,
Penè etiam delapsam urnam fregisse dolentes.
At dum Sancta Parens aberas, flevere capellæ,
Te sicci fontes, Te sicca arbusta vocabant.
Sic tandem patriæ sortem miseratus iniquam,
Pan custos conjunxit oves, oviumque Magistros.
Demonstrant placidum mutata pericula Numen,
Et defæcatum procedit ab igne Metallum.
Centum ora, & centum linguas ex more rogarem,
Quò possim dignas cœlo persolvere grates.
Ah nunquam tantos condat nox atra favores,
Nec pereat *Caroli* peracuta memoria Primi.
Dormite immemores, tacitique recumbite Manes,
Et sileat parvâ serò dilectus in urnâ,
Qui nobis à tergo affulsit numinis instar.
Nequicquam fletus orbata *Britannia* fundis,
Hæc pendenda prius nec perpetranda fuissent.

Sola parentandi via restat, & unica Patris
Solvendi exequias, si Nato justa rependas:
O Divi *Caroli* sincerum exemplar, & hæres,
Quanta tibi *Cæsar* debetur gloria, qualis
Laus remanet, sacris dum Rex longè optime rebus
Consulis, & veteri pro relligione laboras.
Declinat casus prudentia tanta futuros,
Provida nec refugit venienti occurrere morbo.
Sit memor ut *Carolo* reddat sua vota quotannis
Posteritas, quia sic placuit committere claves.
Magnum *Sheldonium* excepit *Sandcroftus*, ad unguem
Factus homo, egregius pro summo Præsule Præsul.
Phœnix *Sheldonius* recipit per funera vitam,
Emeritosque artus fœcundâ morte reformat.
Aureus alter adest, hæres ex asse relictus,
Vivit idem ingenium, totidem convivia linguæ,
Contingit mites iterum exhaurire lepores
Innocuosque sales, dum scanderet astra, videtur
Sheldonius, vivo Genium tribuisse Prophetæ.
Non illum ambitio, non illum erexit honoris
Ægra sitis, nec avara suæ jejunia Mitræ,
Non aliquis Procerum Regis detrusit in aurem
Callidus, & latè dotes expressit amici,
De cœlo potius monuerunt somnia Regem,
Et quò proveniant fœlicia tempora Sponsæ,
Aliger æthereis hominem detexit ab oris.
Quanta Viri, qualisque sui victoria! Regi
Opposuit, metuitque ingentia pondera doni.
Illum iratus honor meritò castigat, & ultro
Viribus admotis cunctantem gloria vestit.
Multum agros amat, & notas desiderat ulmos,
Unde ex urbe libris indulget, & otia curat,
Otia quæ nobis præsentia numina reddunt,
Et revocant Mundo astrictas placidissima Mentes.

Cognovere

Cognovere diu Fauni Dryadesque puellæ,
Vidit & alma Pales volventem plurima nostrum
Pastorem, sed ne Pastor dignissime, digni
Pœniteat pecoris, reverenda insignia forti
Sume manu, fascesque tene Trabeate Sacerdos,
Intersisque diu sacram exornare Curulem.
Non aliter posito properat Dictator aratro
Qui bellum inferret pro libertate Latinis,
Et pecudum ritu, sua sub juga mitteret hostes.
Sandcroftus Numa noster erit, cui præbet honores
Insignis pietas, tibi læta *Britannia* Vestam
Donabit, flammasque æterni accendet amoris,
Quò tibi Palladium, nec non Ancilia regnis:
Nempe Decanus adhuc *Pauli* numeratur, ad illud
Exemplum, in terris, pro Christo mille labores
Suscipiens, nostri dicetur Apostolus Orbis.
Jam nimium dilecta Parens Ecclesia, festos
Cerne dies, sobolemque piam, quæ sponte Parenti
Cerea submittet, nec molles spernet habenas.
Quis non gauderet, tortos componere mores,
Sandcrofti ad vitam, vel quæ sententia flecti,
Cum Magicæ audiret nervosa oracula linguæ.
Quando iterum plenæ moderantem frœna Capellæ
Adspiciam in rostris, auresque oculosque tenentem.
Auriti lapides se declinare feruntur,
Ex studio sudare, haud in statione retenti,
Ac si *Thebanos* audissent Marmora cantus.
Hic longè arcebit teneris à vitibus apros,
Vel sacrâ citharâ devinciet *Anglicus Orpheus*,
Ille lupos fera *Roma* tuos, ursasque domabit
Fœda *Geneva* tuas. Jam rupto robore molles
Procedunt homines, & fert rubus asper amomum.
Ecce vagæ pecudes Pastorem & ovilia quærunt,
Et sua pugnaces repetunt præsepia tauri.

FINIS.